

60 sas plicabimus ad pectus. Et utinam otiosas et non operantes in perniciem nostri, quod est utique evidentis insaniae. Velut si quis, verbi causa, pyctarum, derelicto
65 adversario, in suum caput manus convertat et suum verticem caedat. Pepulit nos Diabolus et elisit. Oportet utique resurgere et rursus stare contra eum. Nam si semel deiectus non solum nolis a terra resurgere sed et teipsum praecipitio dare, hoc est iuvisse adversarium et partibus
70 eius favisse. Nam et beatus David cecidit eodem casu quo et tu nunc, et non hoc solum, sed et aliud his addidit gravius, homicidium enim coniunxit adulterio. Et quid post haec? Numquid permansit iacens? Nonne surrexit et iterum stetit contra inimicum et ita eum subegit, ut
75 etiam post mortem merita eius profuerint posteris suis? Nam Salomon, cum immane illud admisisset scelus et dignus mille mortibus haberetur, propter David tamen concessurum se Dominus regnum eius integrum dicit. Ait enim: « Scindens scindam regnum de manibus tuis et dabo
80 illud servo tuo. Verum tamen in diebus tuis non faciam propter David patrem tuum, sed de manibus filii tui accipiam illud. » Sed et Ezechias cum in pericula extrema venisset, quamvis et ipse esset iustus, tamen pro beato David dicit se Dominus ei auxilium laturum. Ait enim:
85 « Protegam civitatem hanc et salvam faciam eam propter me et propter David puerum meum. » Vides quanta est virtus paenitentiae, vides quantum meriti conversio reparavit; quod si voluisset et ille haec cogitare quae tu nunc animo geris et dicere quia impossibile est iam propitium mihi Deum fieri. Honoravit enim me honore ingenti